

Nycolaus, Dei gracia dux Opauiensis, universis in perpetuum. Quoniam, ut ait Scriptura, elemosina a morte || liberat¹ et non sinit diu in penis animas detineri et ideo nos volumus diem extremum misericordie operibus prevenire || et seminare in terris, quod reddente Domino metamus in celis. Noscat igitur tam presens hominum etas quam futura poste||ritas, quod spe premiorum eternorum induci libere et plenissime ob honorem Dei omnipotentis et ipsius genitricis Marie Virginis gloriose pro remedio anime beate memorie patris nostri Otackari, incliti regis Bohemie,^a ² et pro salute nostra omniumque progenitorum nostrorum contulimus^b et donavimus in perpetuum fratribus hospitalis sancte Marie Teuthonicorum Ierosolimitani ius patronatus ecclesie sive parochie in Iegerdorf cum omni iure ad nos spectante, assignando et renunciando predictis fratribus quasi possessionem prefati iurispatronatus. Volentes igitur in perpetuum hanc nostram donacionem inviolabiliter et irrefragabiliter observari, precipimus universis, ne quis predictos fratres in premisso iure patronatus predice ecclesie in Iegerdorf audeat aliquatenus molestare. Ut autem hec nostra donacio perpetue firmatatis [exi]stat,^c presentem litteram in signum collacionis plenissime et perfectissime sigilli nostri munimine cum testibus infra scriptis iussimus roborari. Testes sunt hii: Wocko de Crawar, Henningus de Wllenstein, Conradus^d de Wllenstein camerarius noster, Benesius de Lobenstein, Bludo de Tyzim, Prothivo de Wilouwe, Theodericus de Wllenstein plebanus de Brunna et frater suus Henricus notarius noster et Herbodus Puso de Wllenstein, Otto de Linaua et frater suus Vlricus, Crafto et Winandus iudices in Oppauia, Henningus Albus, Buchardus et Henricus frater suus, Guntherus et Gerhardus cives Oppauenses, Tilemannus iudex de Iegerdorf et Hermannus de Noua Ecclesia^e civis in Iegerdorf^f et alii quam plures. Acta sunt hec anno Domini M^oCC^oLXXXI^o, XIII^o kalendas octobris.^e

*Sigillum: Nicolai, ducis Opaviae, in filis sericis rubri et flavi coloris paulum laesum appendet.
In reverso secretum illaesum conspicitur. Vide Sigilla num. 1 c, 1 et 1 c, 2.*